Ann. IV. Num. XXII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato.*

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA — Apud GEBETHNER ET WOLF — VARSAVIAE POLONORUM rakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA — Apud BURNS AND OATES — LONDON W. 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTEMTR. — Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr. — NEW YORK 52, Barclay Street. — CINCINNATI 436, Main Street.

IN GERMANIA — Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost et S. Rituum Congr. Typogr. — RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA — Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES — MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

ROMAE

EX OFFICINA *PACIS*, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMI

❋ FIDES ❋
(Italice Violino)

quod musicum organum

STRADIVARIUS

CREMONENSIUM ARTIFEX CELEBERRIMUS

CONFECIT

Romae veneunt.

***Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem*, ROMAE, via Alessandrina, 87.**

LIBER (vulgo " ALBUM „)

praecipua Urbis referens, pulcritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. **1.50.**

Sociis qui in Nordica America versantur vehementer commendamus quod a Sodalibus Carmelitis novissime institutum est ac regitur

COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eamdemque Christianam et nostrae aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae collegium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Preside, *6413 Star Avenue (Woodlawno) — Chicago, Illinois.*

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur, venit singillatim L. **2.50**

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Nuperrime prodiit

LOLLIUS, sive de provecta latinitate,

PETRI ANGELINI liber, constans paginis CIX, excerptus e Commentario ***Vox Urbis***. - Venit lib. **1.50**, apud eiusdem Commentarii administratorem, ***Romae, via Alessandrina, 87.***

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

LE LAUDI LATINE

E

IL CANTICO DEL SOLE

DI

S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

Ann. IV. ROMAE, Idibus Novembr. MCMI. Num. XXII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

COMMENTARII "VOX URBIS" SOCIIS ET LECTORIBUS

IN ANNUM MCMII

QUADRIENNIO iam assueti, diebus hisce redeuntibus quotannis et facta respeximus, et facienda promisimus; illa ut ostenderemus nos religiose fidem servasse, haec ut iucundiora sociis nostris polliceremur. Nullum quippe mortale opus est, quod ipso in exordio undequaque perfectum sit atque expolitum, ipsaque signa Mironis, affabre quamvis conflata, polientis minima limae labore et mora indigebant.

Itaque commentario nostro unusquisque annus plura attulit emolumenta, sive amplificanda indicaret, sive minuenda ostenderet, sive nova inducenda suaderet, sive penitus exterminanda monstraret. Qua quidem in re magni fuit nobis opera sociorum, qui vel missis epistolis, vel communicatis ore consiliis, vel datis elucubrationibus undique gentium nonnulla emendarunt, plura auxerunt, plurima perfecerunt. Nos autem dociles gratique tantis viris laeti accipiebamus quae mittebantur, et morem gerebamus eruditis, quorum nominibus quasi totidem stellis commentarius noster coruscat, et, audientes dicto in meliora conantium, in meliora pariter nitebamur. Ita coniunctis viribus, factum est ut ex nostratibus atque exteris nemo nobis crimen impegerit, quasi promissa dedissemus, quae non ad unguem praestitissemus.

Unum illud supererat, ut **constitutum praemium aurearum mille libellarum** ad provehenda studia conferretur. Sed hoc etiam vinculo nos feliciter expedivimus; nam kalendis Novembribus praemium illud sorte adiudicatum est

LUDOVICO DE RUBEIS

EX IGUVIO,

ad quem aurea illa missa iam sunt.

Hoc itaque nexu exsoluti venientia perspicimus laeto animo tempora, praecipuum quasi indicantes callem, per quem proximo anno gradiemur. Meta quidem una est, incrementum latinitatis; quam tamen in metam, non una sternitur via. Nos neque superbe tenuisse magnis itineribus propositum finem, neque semitas creasse confitemur, contenti exiguo calle, quem ab ipso commentarii exordio inivimus. Cui quidem nec spinae, nec sentes defuerunt; sed propositi tenax animus, sed conscientia boni, sed gratia vestra, o socii, sed labor assiduus omnia vicerunt, ita ut quasi e collis apice superata spatia respicientes, non quidem ab ipso condito commentario, sed ab iis, quae superioris anni initium signarunt, laetari liceat et fructus uberes, et iucundissimos visu flores percepisse una cum laude sapientum.

Enimvero elabente iam anno auctus est commentarius figuris, elucubrationibus, nitidioribus litterarum notis; auctus non mediocriter scriptorum numerus, quos inter magno cum gaudio accensuimus viros litterarum fama clarissimos. Accessit scriptorum centuria, quibus calidus iuventa sanguis fervet, et spes arridet, et est praesaga boni voluntas. Iamque hisce

sunt fortia bello
Pectora, sunt animi, promptaeque ad fortia vires;

ac tempus erit, quo non inter triarios modo, sed et inter primipilos, ducesque versentur. Igitur spes magna arridet fore ut, hisce adeuntibus, et alios atque alios allicientibus, messis uberrima crescat, et vetus gloria latinitatis tandem aliquando revirescat.

Vos autem maxime, adolescentes, illud ne fugiat, in litteris fieri, quod in aedificiis exstruendis quotidie videtis. Non unius opera, non uno lapide illa excitantur, sed coniunctione plurium; hi enim caementa comportant, hi lapides, hi arenas, hi fontem, hi lateres, hi trabes, hi tigillos, dum illi saxa scalpris aptant, illi marmora secant, illi varia obeunt munera ut opus exsurgat ad solaria, ad tecta, ad crepidinem, ad fastigium. Ferat unusquisque vestrum quod potest, qui simul omnes omnia potestis; nam unusquisque suae regionis praestabilia novit, quae, si notarit communicabitque, coalescet opus, et commentarius noster, cui patent omnia litora regionesque omnes orbis terrarum, dominium gentium, quod latina lingua tenet, notitiis undique susceptis, facile praeferet ipso in incessu, et in fronte.

Quae igitur monumenta vel sub dio pateant, vel reperiantur effossa, quae industriis, negotiationibus, commerciis terra marique tententur, quae denique in omni genere usui hominum inventa sint, a singulis vobis expectamus, qui non mediocrem honorem apud omnes eritis adepturi ex restituta latinitate, in quam feliciter incubuistis, pelago ratem primi committentes.

Atque haec pars auxilii est, quod flagitamus. Nam, si quid gratiae apud socios ac lectores labores nostri meruerunt, illud etiam vehementer petimus, ut qui nomina commentario dederunt, non ipsi modo in proposito constent, sed suos inter amicos sociorum numerum quaerant. Impendia quippe enormia sunt, quibus pares non efficimur, nisi societate multorum. His autem largienda futuro anno praemia, eademque more nostro munifica, proposuimus, quae proximo numero commentarii describentur.

Omnes interim, queis voluntas aequa in nos sit, admonemus uti recto, prout aiunt, tramite pretium annuae subnotationis *Romam* mittant *ad Aristidem Leonori Equitem, Comm. Vox Urbis possessorem et administratorem, Via Alessandrina N. 87*; quod pretium est in Italia Lib. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; Mar. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Floren. 7 ½. Qui cito fecerint, commentarium accipient ab ipso subnotationis die (etiamsi hoc anno MCMI) ad expletum usque annum MCMII.

VOX URBIS.

COMMENTARII "VOX URBIS„ INDICES SINGULI

necessaria, ut verbum Dei scriptum scite explanent, missa facimus, cum res notissima sit, omnes Veteris Testamenti libros hebraico sermone primo fuisse exaratos, nonnullosque in Novo passim occurrere legenti locos, quos, sine iudaicorum institutorum, legum morumque notitia, nemo facile aperiat: ex quo luculentissime constat, quanti orationis contextae nativus sensus habendus sit. Contra, id quod quaerimus, quoniam ad hebraicae grammaticae rationem unice pertinet, tria potissimum complectitur: I de hebraicis libris grammaticis, qui, saeculo elapso, in lucem prodierunt; II de horum ratione et ordine; III de quibusdam tollendis difficultatibus, quo tironibus ad hebraicam linguam perdiscendam expeditius iter pateat.

Si de singulis libris ad rem grammaticam Hebraeorum pertinentibus, qui, in diversis Europae regionibus, ab exeunte saeculo XVIII ad XX saeculi ortum, typis exscripti, vulgati sunt, iudicium et censuram agere velimus, lectori huius commentarii, uni omnium indulgentissimo, importunum negotium profecto facessamus. Quamobrem de grammaticis hebraicis tantum in Italia editis, atque de potioribus inter ceteras, sermonem instituemus; quod rei nostrae satis esse, si temporis spatiique angustiam animadvertat, nemo est qui non videat. Ex ordine incipiamus.

Hicque in primis, etsi praefinitam nobis metam excedit, quia in lucem edita est anno MDCCXXI, non praetereundam silentio putamus perbrevem grammaticam linguae sanctae institutionem, cuius auctor est Iosephus Pasinius, doctor et canonicus estensis, iam in taurinensi athenaeo linguarum orientalium doctor, quam ipse edidit Patavii, typis Seminarii, invictissimoque regi Victorio Amideo Sabaudo dicavit. Haec grammatica satis, pro tempore, nobis probanda videtur. Quae auctor tradit perspicuitate nitent, atque in μορφολογία, quamquam assuetis laborat ineptiis, diligens sine molestia est. Praestat afferre quid in ipso grammaticae proëmio sentiat et iudicet de ceteris artis grammaticae sui temporis scriptoribus, quos, in tres ordines distributos, ita acri ingenio percenset: «Ex grammaticis..... Hebraei fere obscuri et ex apicibus et punctis mysteria captantes; Romani plerumque breviores, quam ad docendum opus sit; Heterodoxi plus aequo fusi et nimia congerendi cura impediti». Quod quidem de nostrorum temporum hebraicarum litterarum cultoribus, paucis exceptis, statuendum esse ducimus. Tulit ne omne punctum Pasinius, cui unum opus fuit, ut hebraici sermonis institutiones perspicuitate ac brevitate componeret? Certe pasinianae grammaticae ratio, utcumque haud exiguis virtutibus ornata, recentioribus litteratorum hominum praeceptis minime congruit. Tamen in scholis, exempli gratia, in patavino athenaeo, usuvenit usque ad annum MDCCCXLV; idque late evincit eam apud doctos viros diu maximo in pretio fuisse.

Penes Iudaeorum magistros summis est celebrata laudibus *Linguae hebraicae grammatica* a Samuele Davide Luzzattio, doctore «rabbinico» tergestino, italico sermone perscripta (1).

Verum id opus tironibus ad hebraicas litteras gradum facientibus, ob immanem praeceptorum

(1) Ed. Patavii, typ. Ant. Bianchi, MDCCCLIII.

molem, valde pertimescendum, quod undecim et sexcentis paginibus continetur, quarum centum et viginti quatuor ad doctrinam de «elementologia» spectant, idest de litteris, de punctis vocalicis, de semivocalibus, de *Dâghesh*, de accentibus, de litteris gutturalibus et quiescentibus, de radice, de vocalium mutationibus, etc.; quibus omnibus a «rabbinis», uti cum Pasinio animadvertimus, magna vis tribuitur (1). Qua de causa si Luzzattii opus, decies perfectum ad unguem, perdoctis viris praesto esse poterit, non idem feremus iudicium de adulescentibus qui nostras scholas frequentant, ne, ab initio, tot tantisque difficultatibus circumventi, deficiant animo, seque optatam contingere metam posse desperent.

Tertio sequitur *Grammatica Hebraica, auctore Edwardo Slaughter, S. I.* cui nectitur brevis et perspicua chaldaicae linguae institutio ex probatissimis auctoribus excerpta et concinnata a L. B. Drach (2). Huius grammaticae ratio, quae, quod ad hebraicam linguam attinet, centum et quatuor paginis absolvitur, nam reliquae quinque et quinquaginta sunt de lingua chaldaica, pasinianae accedit. Slaughterius, primus, magnam grammaticorum accentuum turmam omisit reique tam impeditae et contortae modum imposuit, contentus quatuor praecipuis *pausantibus*, sive *regibus maioribus*, qui nostris interpunctionis signis plane respondent, *Mâthaeg* inter *Schĕvâ* et *Qâmez* ex *rhetoricis* et circello *Qĕrî–Kĕthîbh* qui saepe in libris Veteris Testamenti reperitur. Optime disputat de nomine, de praefixis, de pronomine, de verbo perfecto et imperfecto, deque principibus συντάξεως legibus; maiorem tamen brevitatem et perspicuitatem desideres in capitulo III, de mutatione punctorum. Sed nulla pestis hac grammaticis perniciosior!

In hebraicis litteris tradendis novam invenisse viam Angelus Paggius sibi visus est, qui, anno MDCCCLXIII, Florentiae, typis Felicis Paggii, suam hebraicam grammaticam vulgavit, cui accedunt elementa grammaticae chaldaicae-rabbinicae, italico sermone concinnata, atque S. D. Luzzattio, ceu reverentis animi pignus, dicata. Scriptoris mens, hoc in opere elucubrando, quod mole superat ipsam Luzzattii grammaticam, ut patet ex proëmio, haec fuit: circa μορφολογίαν mediam sequi viam, veterum grammaticorum rationem cum recentiorum praeceptis iuste componendo, dummodo aliter sentire, usu, optimo rerum magistro, non adigatur; circa σύνταξιν autem Gesenium, omnium grammaticorum longe principem, auctorem habere. De qua docendi ratione Paggius miris praedicat laudibus; quotquot hanc tenuere viam pro certo affirmat numquam in Hebraeorum litteras frustra incubuisse, immo vero uberes fructus tulisse. Hinc, ut rem exemplo confirmet, narrat de quodam catholico adulescentulo, Fausto Lasinio, in pisano deinde athenaeo doctore,

(1) Idem dices de libris grammaticis quos ediderunt Caluso, Reggio, Costa, etc., quique, brevitatis causa, hic praetermittuntur. De Vosen, cuius artis grammaticae satis notae plures iam exstant editiones, I. Pizzi haec habet: "*Rudimenta linguae hebraicae*, auctore Vosen, omnia continent quae ad discendam hebraicam linguam sunt necessaria; at, etiam si πρακτικῶς sint exposita, ita tamen obscuritate sunt impedita, ut saepe alumnos meos audiverim, cum ea in schola perlegerem, inter se dicentes per iocum clariorem et faciliorem esse hebraicum sermonem latina illa dictione qua utitur clarissimus vir in regulis describendis".

(2) Romae, typ. S. Congreg. de Propag. Fide, MDCCCLXI.

qui, cum hanc novam discendi hebraicas litteras rationem doctus decem et octo menses tantum studio vacavisset, sacram linguam ita cito et scite arripuit, ut, praeter provectiorum magistrorum opinionem, duo carmina haud brevia, hebraicum alterum, alterum chaldaicum ediderit. At id, dicemus aperte non simulate, nimis probat! Quot enim adulescentuli antiquarum litterarum amore vehementer incensi, fere sine ulla artis grammaticae praeceptorum ope, praeclara nativi ingenii documenta dedere! Cavendum est ergo ne in σόφισμα, quod philosophi «falsae causae» arguunt, incidamus. Nobis ideo, si quod iudicium de Paggiana grammatica proferendum est, dicemus eam vel parum novi de ratione et ordine praeferre, neque a ceteris distingui, ni excipias quod Luzzattii opus, cuius vestigia procul dubio Lasinius est secutus, perspicuitate antecellat. Dolendum est praeterea quod florentina editio, quam prae oculis habemus unamque exstare credimus, innumerabilibus mendis τυπογραφικοῖς referta — (*errata–corrige* quatuor paginibus continentur) — nullo pacto tironibus commendanda videtur.

(Ad proximum numerum).

MARCUS BELLI.

VITAE COMMODA

Vera cano; facilem te praebe vera canenti,
Et mea dicta memor percipe, quisquis ades.

Tu sapiens spes disce bonas: insomnia vana
Ne patiare animum ludificare tuum.

Sunt qui componunt argenti pondera et auri,
Et cupiunt multo scindere rura bove.

Quo plures cumulantur opes, se tempora vitae
Ducturos tanto candidiora putant.

O spem fallacem! o quantum est in rebus inane!
Congestis opibus stat labor usque comes.

Non valet instantem tardare pecunia mortem:
Nudus tandem ibit spiritus ante Deum.

Hic se praesidio procerum putat esse beatum,
Quos ambit blandum pronus in obsequium.

At dextram laedet subnixus arundine fracta:
Mendax omnis homo, et gratia nulla diu est.

Ille sibi spondet felix in honoribus aevum,
Et misera demens ambitione flagrat.

Nonne videt, celsos feriant ut fulmina montes,
Et divulsa Notis arbor ut alta ruat?

Exspectant alii e scriptis nomenque decusque,
Vitamque in libris ingeniumque terunt.

Mox sibi speratum non respondere favorem,
Et fetus plorant interiisse suos.

Illum solatur longae fiducia vitae,
Cui laetum in solido corpore robur inest.

Sed vis membrorum tenui contunditur ictu,
Et vitae florem decutit aura levis.

Credite, vera cano. Qui vitae commoda sperat,
Contrectare umbras nititur ille manu.

A. BASILI.

PER POPULUM SALUS

Si quis tandem honesto iudicio eoque a partium studio prorsus alieno historiam decedentis decimi noni saeculi atque vigesimi orientis describet, ille fatebitur ferme atque testis erit, nullum sodalicium nullamque rempublicam tamdiu tamque perspicue ingruentes necessitates praescivisse, quas experitur nunc hominum hodierna communitas, uti praesensit atque praenunciavit Ecclesia.

En itaque mater filiorum salutis unice sollicita, divini verbi custos atque interpres futurae spei, quae forti lucta contendit communitatem hominum quovis pacto redimere. Quem ut assequatur finem, si ea quae docet recte audimus, [illegible] saepe atque increpat, ut iam omnium curae, omnium sollicitudines in plebem optime [illegible]. Omnium itaque omnium rerumque publicarum vires una ipsa convocat, easque monet ad populum sospitandum coniurare oportere, cuius ex agminibus teterrimam videt nostrae aetati imminere procellam.

Maximum ferme civilis sapientiae consilium, rudem, asperam, barbaram paene multitudinem in mitiores inceptus flectere, in humanam [illegible] imponere; eique animos iam ob[illegible] [illegible] et suae dignitatis sensum et [illegible] redemptionis. Itemque [illegible] officium ea persequi [illegible] totius universitatis [illegible] a saeculis, sed [illegible] iterare, quae monent ut si quis sit in societate ditior, aut fortior, aut sapientior, ille in egenos, in imbecilles, ille in insipientes sublevandos incumbat. Ad hoc enim venit Christus, ut praecepto caritatis, illam, quae fuerat prima culpa exturbata, beatitudinem atque similitudinem hominum, novo [illegible], nova benevolentia adaequaret.

*

Haec dum Ecclesia mater suadet, divitiarum vires quae tamquam bellicae copiae in luctam instructae videbantur, medelae virtutem praeter spem assumunt. Advocantur primi nobiliores reipublicae ordines, quorum maxime est ob generis excellentiam, ob divitiarum copias, ob doctrinarum electionem, reliquos cives regere exemplo et consilio. Advocantur magistratus, qui consident in fastigio civitatis, qui publicos ordines servant pacemque tutantur, eosque inter reges primi, qui atavis potentibus orti, mandatum habent, aut accipiunt, aut hereditate possident, ad populos legibus cohibendos. Advocantur et recentiora legatorum oratorumque comitia, quae, iuxta necessitates et eventus, bonum publicum ut procurent consulunt, legesque edunt. Hi omnes compellantur prece et iussu ab Ecclesia, ut sibi iungantur, ut una secum in regenerandos humiles, Christi nomine invocato, adlaborent.

Equae tantae voci sunt a potentibus voces coniunctae? Quae fuit instanti appellationi responsio? Christifideles, quorum est studium ferventius, quosve urget acrius desiderium ut nova maturent fata, ut illucescat citius dies redemptionis novae, deflent adhuc undique civium omnium contumaciam! Qui eminent ordine aut gentis nobilitate, hi vivunt aedepol! quasi nihil iam novi agitet circum plebs, quasi inepta habenda sint aut spernenda discrimina, quae ex turgenti miseriarum fluctu sua ipsorum capita minitantur. Quae prorsus incuria amens atque stulta omnino, nisi plerumque ex ignorantia repeteretur, crimen quodammodo ignaviae maximum constitueret! Eorum enim ex vivendi ratione superba, augentur passim irae, odiaque aluntur, quae miserorum in cordibus latent. Deserunt ipsi munus a Deo sibi concreditum, atque delabentibus ordinibus in fraenum positis, fomitem contra totius corruptionis maxime praestant.

Quid autem dicendum de equestri ordine, aut de mercatorio? Qui dum sua cupiditate saepe insatiata acuunt opificum agricolarumque egestatem, eorum tamen clamoribus quasi obsurdescentes, toti sunt, ut suam lucri aviditatem expleant, ut avaritiae suae quotidie auctae inserviant.

De doctis aut sapientibus silcam. Nonne enim audimus scientes saepe atque perfidos magna voce eos conclamare in Ecclesiam atque eius in aeditnos sanctos calumnias instruere pessimas quotidie, acerrimasque vomere ignominias?

Magistratus denique reipublicae, itemque oratorum, quos populares appellant, coetus Ecclesiam Dei non aliter habent quam prorsus aemulam. Timent illi, vesano satis timore atque stulto, timent ne forte populus, si Ecclesiae se credat, si eius praecepta sequatur, a civili oboedientia discedat: seu, rectius, timent ne suis ex manibus effugiat illud quoque animorum imperium, quod sibi non debetur, quod tamen cupiunt quam maxime usurpare. Nemini enim est, in ea quae spiritus sunt, data a Deo potestas, nisi Ecclesiae, nec licet intimam hanc auctoritatem consulibus aut Caesari ambire.

*

Quae cum catholici viri omnes dolentes respexissent atque recogitassent, perspectum satis habuerunt sibi in nullo ex civilibus praestantioribus ordinibus spem esse auxilii ad redimendam communitatem, ideoque non alio convertendas esse manus, nisi ad ipsam popularium multitudinem.

Eam versus itaque recto tramite nullaque mora iure conversum est iter consiliumque hanc in formulam conceptum, quasi totius operis punctum atque caput, ut, quoniam ad redemptionem reipublicae non valent optimi ordines, omnis salus expectetur a populo, ex eoque fortiter adlaborante, si faveat Deus, obtineatur.

IOSEPHUS TONIOLO.

DE GRAMMATICAE HEBRAICAE
RATIONE EMENDANDA

Nobis de grammaticae hebraicae ratione disserentibus dubium inicitur, ne ventis verba demus, cum rem iamdiu inusitatam ac fere «bis emortuam» — plautino utemur verbo — agere videamur. Quis enim speret fore ut itala iuventus in huius linguae studio elaboret, quae, ob innumeras quibus urgetur difficultates, hodie tantummodo iudaicorum magistrorum, qui *Rabbini* audiunt, privati iuris est? Equidem ne inficiamur etiam hac nostra aetate, exstare singulari ingenio viros litterarum hebraicarum cognitione insignes; sed adeo sunt pauci, ut iis apte conveniat tritissimum illud: «rari nantes in gurgite vasto». Praeterea in tanta rerum perturbatione, dum quotidie per nefarios ac resolutos legibus homines omnia divina humanaque iura permiscentur, si ne optimis quidem graecitatis et latinitatis auctoribus ullus conceditur locus, quo auspicio in Hebraeorum litteris tuendis insudabimus? Eget ne Troia defensoribus istis? Telum imbelle sine ictu!

Ideo haec nos saepenumero recogitantes sollicitus occupat timor, ne, vacuum experti aëra, nubes et inania captemus. Nihilominus lectorum huius commentarii, de bonis litteris tuendis propagandisque optime meriti, benevolentia freti, in proposito susceptoque consilio permanebimus: quod si ea quae dicturi sumus non omnes aequis accipiant animis donentve coronis, satis sit ut nobis venia detur eruditissimum virum, a quo hebraicae linguae prima elementa accepimus, grata memoria prosequendi. Subit enim in mentem dulcissima illa praeteriti temporis recordatio, cum, in ipso iuventutis flore, Patavii, in clarissima pervetustaque studiorum sede, bonis litteris addiscendis sedulam operam navabamus. Tunc, idest viginti abhinc annos, praeter Ferraium et Conradinium, alterum graeco, alterum latino sermone doctissimum, et Lollium *audivimus*, hebraicis litteris tradendis praepositum, quem multa doctrina instructum animique comitate omnibus carum acceptumque longe admirati sumus. O beata et pacatissima illa tempora, quorum memoriam nulla umquam obruet oblivio!

Quoniam igitur suave pergratumque est ea quae pueri aut adulescentuli, quamquam inchoata et rudia, in bona disciplina exercitati didicimus, interdum in mentem revocare, liceat nobis ingenuarum litterarum fructum progressumque vehementissime exoptantibus, aliquid, politiore atque eo perfectiore quo poterimus modo, de hebraicae grammaticae ratione et ordine disputare; idque, ni omnibus, nonnullis tamen non mediocri usui fore confidimus.

*

Quae sacrorum librorum interpretes subtiliter tradunt de lingua hebraica omnino tironibus



Musices templum in Uropolitano omnium rerum ostentu.

vis electrica gignatur, genitaque filo ferreo in longinquas transmittatur regiones; quo etiam modo electris ad calefaciendum, et ad lucendum, et ad coquendum, atque ad agenda vehicula adhibeatur...

Ceterum primo cuique advenae perspectum est, ostentum eo esse exstructum, ut, omnibus electricis operibus allatis, in promptu esset, quam altum et quam excelsum electridis fastigium nuper ascenderint Americani, qui ad nova proclives commodissima quaeque sollertes conficiunt, et novissima si quae sunt comparanda, avidi arripiunt. En illa, quae 375 pedes in caelum minatur, turris electrica eo consilio ornata, ut innumeris flammis electricis perfusa immane quoddam videatur lumen. Vertex, cui lucis dea imposita est, refulgente electride et emicante, ad viginti usque milliaria conspicuus esse fertur. Profecto ubique ostentus flammae noctu enitent electricae eaeque innumerae et varias in figuras formatae, quae, quum aedificiorum tecta sint rubra et muri paulo virides, reapse efficiunt, ut ostentum Iris fiat altera et « Iridis urbs » plerumque appelletur.

Neque nostram oculorum effugit aciem, omnia ostentus palatia Latinorum more esse aedificata, ut et Latino-Americani ad rem allecti arctissimo amicitiae vinculo in posterum devincirentur.

Haec quidem ostentus praecipua; minora, quam primum potuero, meo more describam. Valete.

Chicagine.

H. Doswald.

VINCENTII BELLINI NOTITIA

CENTESIMO RECURRENTE ANNO AB EIUS ORTU.

Tertio nonas huius mensis Novembris centesimus absumptus est anni circulus qua ex die Catinae lucem aspexit Vincentius Bellinius, cuius in ingenio omne carmen visum est contineri, quod suavissimum esset atque dulcissimum. Eius enim vix nomine pronuntiato commovemur omnes, atque una cogitatione quasi nobis praesentia opera, quae descripsit pulcherrima, videmus; quae quidem, quidquid contra dixerint inepti vel calumniatores viri, Wagnerio, et Schoepmann, et Brandel aliisque sexcentis testibus, summum musices prodigium in Bellinio consalutantibus, solatium nobis, spes, exemplum manent singulare.

Cantor primo Vincentius e Neapolitana musices academia discessit: deinde studuit et citharae et fidibus: mox describendis musices numeris Tritto, seniore illo magistro, animum applicuit. Extremae huius artis prima Vincentii conamina cum lectissima Zingarellio, academiae summo moderatori, visa essent, hic iuvenem suos inter discipulos statim cooptavit.

Effluebat iam eius ex corde sponte melos; sed artificium harmoniae, ingratum primum ingenio, forti tamen voluntate ac nunquam fracta, Haydn et Mozart modis quotidie varios numeros aptans, strenue vicit. Tunc ludenda instrumentis opera quindecim, missarum solemnes concentus tres confecit, fidibusque atque organo varia scripta dedit.

Magister inde salutatus; sed summa eius ingenii quae esset vis etiamtum latebat. Tandem anno MDCCCXXV dramatibus cantu concinnandis manus admovit et *Adelson e Salvini* comoediae modos fecit, quae ipsa in academia acta est. Illuxere iam in opella germina pretiosa, quae Vincentii in animo abscondebantur. Re quidem vera, ex academia discessurus, quod fuisset aequalium optimus diiudicatus, carminis, iuxta annuum morem, musicis notis vestiendi concreditum illi munus. *Ismenes* (hoc enim varii carminis nomen) tantis exceperunt plausibus, ut Barbaia, theatralium negotiorum susceptor, novum ei dederit drama musice ludendum, *Bianca e Fernando*, quod auditum est in urbe Neapoli anno MDCCCXXVI adstantibus civitatis primoribus et ipso rege, qui numerorum dulcedine captus fertur magna voce clamasse primus, ut auctor ovantis populi in conspectum veniret.

Statim ad maximum Mediolanense theatrum Bellinius advocatur; ubi Romanium dramatum ad musicen scriptorem notissimum repperit: huius amicitiae fructus *Pyrata* opus an. MDCCCXXVII publice datum.


Sed erat tunc scenae lyricae quasi princeps Ioachim Rossinius, neque noster valuisset aut studio aut ingenio tantum aemulum superare, nisi novisset aliquid inesse in se proprium idque aemulo negatum, suavissimam dico animi lenitatem, vimque eliciendi ex spectantium animis lacrimas. Accedebat ipsius Romanii poetae natura tristibus animi motibus atque amoris blandiciis enarrandis mire apta; quare coniunctis viribus, ita potuerant ambo, ut supra Paisiellum et Rossinium et Mozart ipsum corda movere Bellinius maxime valeret: quam virtutem eius praecipuam et gloriam maximam aequavit deinceps nemo.

Straniera drama *Pyratam* subsequutum est, quod Mediolani pariter anno MDCCCXXIX primum apparuit: mox successit Parmensi novo in theatro *Zaira* e Voltaire comica fabula exemplata; deinde *I Capuleti e i Montecchi* anno MDCCCXXX ac tandem maxima Bellinii opera *La Sonnambula* atque *Norma*, illud mense Martio, hoc Decembri mense primum editum an. MDCCCXXXI.

Tunc gloria cumulatus patriam Vincentius revisere voluit. Cives excepere virum plausibus innumeris: advocatum Neapoli cantorum agmen, qui opera ab eo scripta ipso coram magistro omnia cecinerunt. Qui quidem ex labore nunquam remittens, *Beatrice di Tenda* opus anno sequenti coram Venetis produxit, et Londinum primum, deinde ab ipso Rossinio aemulo Lutetiam invitatus, hac in urbe *I Puritani* supremum sibi drama scribendum accepit. Potestas in oppido operi manus admovit, quod cycni veluti cantus ei fuit; nam paulo post id perfectum, viscerum atroci ex morbo brevi auctor est absumptus. Parentalibus eius perquam solemnibus Lutetia omnis adfuit, cineresque in coemeterio Père Lachaise pie humati. Sed quadraginta post annos Catinensium precibus in-



Electridis templum in Uropolitano omnium rerum ostentu.



Albright aedificium in Uropolitano omnium rerum ostentu.

DE AMERICANARUM RERUM OSTENTU AD URBEM UROPOLIM (1)

II.

De rebus ostenti praecipuis.

Quod in [illegible] Uropolitano aedis [illegible] menti exstitit acceptum, id nos morae impatientes [illegible], accuratque curiosi perquirere in deliciis habuimus. Itaque ad ipsum propositum ostentum, ad quod videndum advenimus.

[illegible] milliarii longitudo et dimidii milliarii latitudo est, in ea, quae ad urbis septentrionem vergit, parte situs, multis et viis [illegible] quam ceteris percommodos ad se habet aditus, quorum praecipuus et longe amoenissimus est «Lincoln porta». Quam [illegible] desiderio ingressi, ad septentrionem versus sine mora pergimus. Quid [illegible] oculis successit nostris? Quae de [illegible] audivi olim et perlegi, ea omnia hisce, quae circum nos sunt, rebus [illegible] in mente [illegible]. Via, qua vehimur, [illegible], per quae rivis hic illic [illegible], lucidum aquarum [illegible] speculum. A sinistra viae [illegible], ad magnificum, [illegible] arbusta [illegible] est redimitum. Aedificium, cui *Albright* nomen, Latinorum more exstructum, suis, quibus praeditum et ornatum est, peristyliis et porticibus oculis [illegible] facile conciliat, ideoque saxo firmo est aedificatum, ut post ostentum dirutum, perpetuo [illegible] civium utilitati inserviturum. Quae artium opera ab Americanis artificibus facta hic et alibi exhibentur, ea, quamvis opima sint [illegible], mihi tamen persuadent, Americanorum pingendi et sculpendi artem a Florentinis operibus et Romanis omnino recedere.

Sed nequid nobis sit morae, fano relicto, progrediamur. Patulum ostentus atrium ingressi, ad triumphalem, qui dicitur, pontem accedimus. Quo in ponte procerae quattuor et magnae exsurgunt statuae, variis Americanarum rerum figuris decoratae, ut eam referant superbiam, qua suis operibus elati sunt Americani. Traiecto deinde parvulo lacu, ingens nobis et oblongum patet propatulum amoenissimis ostentus aedificiis circumdatum, in quo, quum tantum sit, ut 250 millia hominum recipiat, advenae morantur frequentes, suavibus plerumque recreati acroamatibus. Fontes a dextra et a laeva positi, oculis aspectu grati, et suaves murmure auribus. A dextra propatuli palatium eminet, Foederatae Reipublicae gubernio dicatum, et in tres easque seiunctas divisum partes, quae, pergulis utrinque exstructis, magna cum elegantia inter se sunt coniunctae. Quo in aedificio omnia, rebus suo loco dispositis, palam sunt collocata, quae ad agriculturam, ad rempublicam thesaurumque administrandum, ad ius dicendum pertinent atque ad epistolarum diribitorium, ad pisces, ad naves referuntur. Ne longior sim, pauca adducam. Quandam imprimis recentioris artis mirari iuvat machinam, qua — quod mirum videtur — nonaginta millia nummum uno horae spatio cuduntur. Porro in iis, quae ad epistolarum diribitorium pertinent, lucide exhibetur, quonam modo ingens epistolarum commercium, electride et vapore subvenientibus, varias inter gentes peragatur et quo frequentius et crebrius, quam Europaeum, sit Americanum epistolarum commercium. Antiquae deinde ostenduntur epistolarum rhedae; Cubani quoque et Porto-Ricani atque Philippini tabellarii, quales, Hispanis regnantibus, fuerint; mortuum etiam, quod dicitur, diribitorium, ad quod omnia perveniunt, quae, nominibus oblitis vel falso descriptis, aut amissa sunt aut non accepta.

Iamvero palatium, gentium cognitioni deditum adimus, quod, quum prope abeit, sua venusta, qua effulget, forma omnium sane allicit oculos. Aedificium fere rotundum; inferior pars, columnis circumductis, formosa; vertex, quum tholo similis sit, amoenus; quinque statuae, quae quinque hominum genera referunt, supra portica exitant. Quum Indorum libri, terrae pictae, chirographa Indorum lingua nitide exarata intus prolata sint, illud, quod regionem Niagarensem, qualis antiquis temporibus fuerit, ad unguem repraesentat, nostram quam maxime excitat animadversionem: regio, vici, tentoria non pictura, sed re, quamvis forma minima, affabre constructa sunt; flumina, nisi angusta vitro indicata exceperis, aqua fruuntur viva et — quod mirabilius est — vici et tentoria, luce electrica noctu lustrata, se efficiunt, ut te in antiquis Indorum regionibus versari attonitus opineris.

Ad magnificum, quod a sinistra propatuli prostat, musicae templum, tandem venimus, in quo, quum minus oculis, quam auribus sit accommodatum, exquisitis et suavibus frui libet acroamatibus. Unde ad magnum illud, quod etiam a sinistra propatuli situm est, palatium horticulturae dicatum statim accedimus. Quod aedificium, Reipublicae palatio simile, etiam in tres divisum est partes, quae pergulis quoque inter se sunt coniunctae. In praecipua quidem media parte, omnia, quae sunt et esse possunt florum genera, mihi saltem ignota, rivulis, terrectis et lacunis interpositis, tanto cum ordine praebentur, ut nunc Africam invadere, nunc Indiam penetrare, nunc alias transire terras vere videamur. In aliis duabus aedificii partibus fodinas et sylvas, quibus America ditissima est, et typographiae artem mirari praestat.

Quum vero propatulum, quinque illis, quae supra commemoravi, aedificiis circumcinctum demum reliquimus, magis ad septemtrionem versus abire festinamus, ubi duo eaque maxima ostentus eminent palatia, alterum machinis, quibus vehimur, sacrum; alterum humanioribus artibus dicatum. In illo itaque omnia vehiculorum genera, cisia, carpenta, rhedae, plaustra, quae vel equus, vel vapor, vel electris agit, currus vapore acti, qui et quonam modo gradatim evaserint commodiores. — In hoc autem altero aedificio, litterae, architecturae opera, bibliothecae, physica disciplina, imo multa alia, quae ad eruditionem et ad corporis sanitatem pertinent; scholae imprimis recentioribus commodis constructae, suo quaeque loco repraesentantur. Praeterea inter duo haec aedificia magnum aquarum situm est receptaculum, quo, aqua in altum saliente et electride radiante, nihil amoenius potest depingi.

Electricum deorsus ineamus aedificium turribus munitum et visu dignum: in eo abdita et recondita electridis vis clare explicata est et explanata; quonam ritu et quibus opibus



Foederatarum Nordicae Americae civitatum palatium in Uropolitano omnium rerum ostentu.

(1) Cfr. an. IV, n. XIII.

tempore ceteris praevalentes, Tergestum, miserabilem sane a principio vicum, condidisse docet Strabo, cum scribit: « Τεργέστε, κώμης Καρνικῆς » (1). Sed Histri, felici pugna, regionem et novum oppidum non sine hominum clade et locorum desolatione recuperarunt, tenueruntque deinceps.

Paulo post tentata deductio coloniae, cui nomen Aquileia inditum, quae, progressu temporum, ob magnificentiam et opes Roma altera haud immerito est vocitata. Quam indesinenter cum adhuc informatam Histri molestarent copiis haud exiguis, eo profectus est Fabius, neque inde, bello inchoato, in Urbem regredi potuit, quamvis de Liguribus trepidaretur. Fabius autem, etsi hostes hic et nunc non debellavit, effecit tamen ut auspicibus P. Corn. Scipione Nasica, C. Flaminio et L. Manlio Acidino triumviris denuo colonia rite inaugurari posset. Postea vero quum per annos duos pax, vel potius tacitae induciae fuissent, A. Manlius iniussu senatus bellum movit, cumque legionibus, quinque ferme millia passuum a mari, ad Timavim lacum inconsulte castra posuit. Histri, ut primum res pernotuit, ipsi post collem occulto loco consederant, indeque, obliquis itineribus agmen sequuti erant, in omnem occasionem intenti, nec quidquam eos, quod terra marique ageretur, fallebat. Igitur, ductu eorum reguli Epulonis, de quo est super mentio facta, barbari primo diluculo faventeque autumnali bruma, ex improviso castra laxius custodita invadunt. Inde tumultuaria turpisque Romanorum tam peditum quam equitum fuga. Praetorio deiecto ac direptis quae ibi fuerunt, ad quaestorium forum quintianamque pervenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositamque copiam et stratos lectos in quaestorio invenissent (vini avidum genus, adfectans ad vini similitudinem multiplices potus), regulus accubans Epulo epulari coepit. Mox idem ceteri omnes, armorum hostiumque obliti faciunt, et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius cibo vinoque corpora onerant. Romani interdum perculsi hinc et inde dilapsi erant. Cetera deformis turba velut lixarum calonumque, praeda vere facilis fuisset, si belli meminissent Histri.

Et eo maior apud Romanos confusio, quod classiarii, cum a legionariis naves invasas viderent, aut vi eos repulerunt aut, solutis anchoris, in altum classem praecipiti motu amoverunt.

Sed Manlius Vulso, vocatis citato itinere tertia legione auxiliariisque Gallis, ignaviamque suis exprobrans, castra, impetu facto, recuperavit. Rex Histrorum temulentus ex convivio raptim a suis equo impositus fugit. Histrorum pauci, qui modice vino usi erant, memores fugae fuerunt. Aliis in somno mors est patrata. Attamen ducenti et triginta septem milites perierunt, plures in matutina fuga quam in recipiendis castris.

Nec amplius ea tempestate, hostes lacessiti. Sed, principio veris, postquam Aquileiae securi hiemassent, consules M. I. Brutus et A. Manlius Vulso bellum redintegraverunt, duobus exercitibus omnia longe lateque populati. Histri, qui se talibus copiis impares viderunt, infauste tentata pugna, in oppidis se clauserunt, quorum

(1) Strabo, VII, V, 2.

praecipuum Nesattium, ad Polam (1), quo ipse se recepit Epulo. Tum supervenit Claudius consul, cuius cum primum imperia detrectarent sprevissentque milites, tandem ad melius consilium ac disciplinam revocati, eius iussu oppidum circumdederunt vineisque oppugnare intenderunt; et amnem praeterfluentem moenia, qui et impedimento oppugnantibus erat, et aquationem Histris praebebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo averterunt. Ea res barbaros miraculo terruit abscissae aquae. Sed ne tum quidem memores pacis, quamvis amoto flumine omnem spem resistendi amisissent, in caedem coniugum et liberorum versi, etiam ut spectaculo hostibus tam foedum facinus esset, palam ex muris trucidatos praecipitabant. Deinde oppidum captum, cuius his ipsis diebus rudera apparuerunt cum titulis latinis. Tum inter complorationem feminarum, puerorumque simul nefandam caedem, milites transgressi murum, Nesattium intrarunt, cuius capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex Epulo, sibi traiecit ferro pectus ne vivus caperetur. Praeda, ut in gente inopi, spe maior fuit. Immo, C. Claudio consuli, cum ad Urbem venisset, postulanti Senatus triumphum decrevit.

Sic Histri, gens haud spernenda, in potestatem redacti, deinceps sub pace Romana non inglorie vixerunt, diversis coloniis ad reverentiam S. P. Q. R. regionem sub ditione tenentibus, quarum praecipuae Aquileia, Tergestum, Pola.

Quod actum est a. U. c. DLXXVI.

Usque ad barbarorum depopulationes et « flagellum Dei » Attilam de Histris quasi omnino historia siluit. Igitur, data occasione, quid ab Attilae eversionibus et ruinis ad nostros usque dies evenerit compendiose deinceps exponemus, ita ut ad hodierna argumenta, non ignoratis praeteritis, apte revertamur.

L. P. Microvir.

(1) Plin., III, 119.

AERËI LUMINIS EX CARBONE CENTENARIA DIES

Qua ex die, decimonono ineunte saeculo, Scotus quidam opifex nomine Murdoch in sententiam venit, de « fossilis carbonis » candentis efflatu levissimo per fistulas deducendo in urbes ad noctem illustrandam aerëis facibus ubique, centum iam anni effluxere. In praesenti autem, etsi tot deinde supervenerint inopinati plerumque lucis edendae modi, merita tamen sua candens ille aër non amisit, interdumque etiam auxit.

Sed minime obliviscendum, multo iam ante, aëris carbonii vim ac virtutem ad illustrandum aptam, satis notam fuisse. Lancashire enim in anglica provincia, ab anno usque MDCLXVII fons quidam innotuit, cuius ex faucibus illustrans aër effluebat.

Similis huius anno MDCCLXXIII in Cumberland provincia coruscavit. Anno MDCCLXVII Watson, celeber ille anglicanus Episcopus, carbonis examinans naturam, eo purgato oleum quasi viscidum habuit, lucemque aeriam, carbonemque spongiae ad instar, quem *coke* nomine hodie appellamus. Anno MDCCXCVII Lebon, machinarius Gallus, libellum doctorum coram Lutetiensium coetu obtulit de aëre carbonio ad lucem edendam adhibendo; cuius in paginis praenunciabantur immo quae hodie passim usuvenerunt, de eius aëris vi, quasi de virtute machinarum activa, ut habent nunc rotae ceteraque huiusmodi, quae ex incenso illo aëre impelluntur. Experientiae deinde a Lebonio actae publice sunt ab anno MDCCXCIX usque ad annum MDCCCII, domusque, quam incolebat, a tecto ad limina nova luce splendide illustrata apparuit.

Modo ausus similes carboniferas per regiones diffusi, citius quam in Gallia iterati. Tunc Murdoch ille, Birminghan in urbe opifex, machinas ad aërem purgandum primus posuit, in officina Iacobi Watt, viri celeberrimi, quem scimus vapore actas machinas primum effinxisse.

Paulo post in memoriam signatae Gallos inter et Anglos Ambianensis pacis, officinam omnem novus aër clarificavit. Nec mora fuit quin Winsor, Germanicus vir satis dives, suas pecunias cum Murdoch ingenio sociaret, privilegiumque a Georgio rege obtineret de Londinensi urbe facibus novis illuminanda: quod quidem anglicus Senatus ratum fecit. Quinque post annos Londinenses passim novo lumine privatim quoque utebantur.

Lutetienses, qui ea inter Lebonii experimentorum iamiam obliti fuerant, viderunt cito Winsor illum inter suos versantem, cauponamque publica in via statuentem, quam cum adiissent nova luce claram mirati sunt. Tunc initum primum divitum foedus ad huiusmodi faces conficiendas et diffundendas: primo alterum et tertium successerunt, donec uti Londini contigerat, ita et Lutetiae aerëa lux divulgata est ubique. Anno enim MDCCCLV dinumerabantur iam Lutetiensia sodalicia ad rem praestandam usque octo, eaque eodem anno tandem in unum coivere, cui datum est Napoleonis imperatoris privilegio Lutetiam quinquaginta per annos, deductis subterraneis fistulis, illustrare.

Centum igitur effluxere anni, manetque adhuc aerëa lux aetatis nostrae prodigium. Nec dicat aliquis illam exstinctam iam electridis lucis triumpho; quinimmo huius ex aemulatione aerëi luminis perfecta in dies natura speciesque est: eaque vicissim ne aemulo cederet, electridis ipsa lux beneficia ex agone retulit.

Oxida candentia aër lucens primus adhibuit: nunc et iis utuntur electricae officinae: haec collustrat citius meliusque, illa tenuiore pretio venit: effectus utrinque utiles quam maxime, aptioresque in dies factae faces et lucernae; noxque, urbana sive, sive et in pagis, mire depulsis tenebris, illuminata.

Sed ad hiemis rigores leniendos primas adhuc tenet aeria lux e carbone; longe pluris enim, ut eumdem calorem assequamur, electridis vim pendimus.

Quae cum ita adhuc maneant, licet proximae praenoscantur mutationes multae, cumque innumerabilia pro hominibus aerius carbonis efflatus adimpleat officia, centenariam ab eo reperto diem albo lapillo adnotare absonum haud esse putamus.

Laelius.

dultum, exuviaeque redditae civibus, qui sua in cathedrali Ecclesia recondiderunt marmoreumque signum indelebile, grati animi monumentum, super iis conlato aere posuerunt.

A. Costaggini.

EX ISTRIA

De [illegible] antiqua a remotissimis temporibus usque ad Nesattium a Romanis captum.

Quam de hac veteris imperii romani regione historica commentario nostro promisi (1), en [illegible], habeatis, breviter compendiata, sed graecorum et latinorum scriptorum inconcussa fulta auctoritate.

Μετὰ δὲ Ἐνέτους εἰσὶν Ἴστροι ἔθνος, καὶ ποταμὸς Ἴστρος, nobis Scilace (2) auctor est. Et Plinius (3): «... Histriae, quam cognominatam a flumine Histro in Hadriam effluente e [illegible] amne [illegible] Histro [illegible] Padi fauces, contrario eorum percussu mari [illegible] dulcescente, plerique dixere falso, et [illegible] Padi accola. — Nullus enim ex Danuvio amne in mare adriaticum effunditur». — Ex his apparet usque ad Plinii tempora [illegible] vulgatam [illegible] Histrum, id est Danuvium, [illegible] parte in Adriaticum influxisse. Ex qua [illegible] falsa opinione, nomen inditum Histriae, illi ultimae Adriatici maris plagae, et Histrorum ipsis populis qui eam incolebant. De qua re eo minus ambigendum quod Theopompus quoque, ut refert Strabo (1) crediderit cum ipso Eratosthene «Histrum uno ostiorum suorum in Adriam» delabi.

Etiam de Antenore poetae meminerunt, qui, navigato Histro ad Timavum appulerit (2). «Histrorum gens» ait Isidorus (3), «originem a Colchis ducit, qui missi ad Argonautas persequendos, a Ponto intraverunt Histrum fluvium; a vocabulo amnis, quo a mari recesserant, adpellati sunt». Additque: «Histriam Hister amnis vocavit, qui eius terram influit; ipse est Danuvius» (4). Unde constat [illegible] errorem, licet dudum a Plinio impugnatum.

Attamen, ad nostros usque dies, nomen sibi constans mansit, quamvis origine falsum, vel sin minus incertum: de quo nomine aliam frustra nostri aevi indagatores proposuerunt interpretationem.

Ceterum quae stirps populi parum compertum erat, cum de Colchis iam facta mentio nil nisi otiosa sit fabula. A doctorum vero disquisitionibus huiusce temporis probatum esse videtur Histros a Celtis originem duxisse tam ex urbium et montium vocabulis, quam ipsius Epulonis eorum reguli, de quo deinceps. Et, revera, *ep* celtice equum indicat, et syllaba *ul* multa pristinae linguae gallicae verba finit (1). Quin etiam, Aquileiae, quamvis romana colonia foret, templum exstitisse Beleni constat, cum apud Apuleium invenire sit: «Belenus fuit Aquileiensium numen, quod summa veneratione coluerunt, et ipsum Apollinem esse crediderunt» (2).

Quidquid id est, scire oportet scriptores veteres quasi omnes, vel potius omnes, Colchicam esse sanguine gentem credidisse et vulgasse. Nam Trogus (3): «Histrorum gentem fama est originem a Colchis ducere». Et Plinius (4): «Colonia Pola... quondam a Colchis condita». Et Mela Pomponius (5): «Pola quondam, a Colchi, ut ferunt, habitata». Alioqui loco idem Plinius (6): «Argo navi flumine in mare adriaticum descendit non procul Tergeste», id est per Timavum.

Interdum Histri, quos profecto e Celtis oriundos praedicamus, usque ad ultima tempora liberae reipublicae obscuriores vixerunt, nisi quod quandoque incursiones et latrocinia [illegible] quam terra perpetrarent, necnon cum Venetis et finitimis Carnis bella quasi perpetuo exercerent (7). Quos Carnos, in interna Istria, aliquo

(1) Cf. [illegible] anni num. XVI, p. 107.
(2) [illegible] XX.
(3) [illegible]

(1) VII, V, 9.
(2) Cf., inter alios, Vergilium, *Aen.* I, 342 et seq.
(3) *Orig.* IX, 2.
(4) Loc. cit.

(1) *L'Istria sino ad Augusto*, auct. [illegible], Tergeste, 18[illegible], p. 158 et seq.
(2) *L'Istria* 1850, n. 9, p. 65.
(3) XXXII, 8.
(4) III, XIX, 129.
(5) II, 8.
(6) *L. c.*, 128.
(7) Ne frequentioribus notulis animus lectoris distrahatur, satis sit scire quae sequuntur e Livio mutuata passim, sed maxime lib. XL et XLI.

COMMUNIA VITAE

Latinitati utile,

[illegible], repiendo, [illegible]

— [illegible] Forfex, qui [illegible] ea [illegible] vir[illegible], ad hoc usque verba continuerat, repente pro[illegible] — quid [illegible] in [illegible] Vallio; [illegible] quidem, quoniam [illegible] [illegible] latinis optime et [illegible] [illegible], si [illegible] de stratis ferreis [illegible] aliquid in latinitati [illegible] colloquium. — [illegible] — Quoniam [illegible] quod [illegible] latinitati utile, vaporitraha [illegible] plena sint capita, [illegible] latinitati [illegible] inutile quod [illegible] aut, certe me invito, [illegible] quod [illegible] probare non poteris, stat mihi tantum [illegible] quod sit mihi res tam longo expetita principio; at recordare illud Horatii nostri:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo. —

Turone adlaudante, quippe ipse, — etiam ipse! — [illegible] a colloquio [illegible], et quod maxime posset se facturum spondente, iterum redit illud Horatii, quo nec [illegible], nec temere facientes [illegible]:

Licuit semperque licebit
Signatum [illegible] nomen!

[illegible], [illegible] iam compos [illegible]: — Ab ovo, — inquit, — [illegible], perque singula quae ad hoc iter pertinent, machinas, chartulas, [illegible], operarios et cetera, gradiamur. Siquid autem dubium sit, [illegible] poterit, argumentis [illegible] iudicio quaeque vocabimus verba, ut rite et sapienter imposuisse singulis nomina videamur. —

Iamque ego prosequor: — Si sumendum ab ovo initium sit, ovum in ipsa via habemus, per quam portamur; aedepol! neque molle, neque sorbile, sed cui ferreum putamen est, neque desuper gallina mater incubans ita fovebit, ut pullum ex illo suscitet pipilantem.

— Suscitabo ego, — Turo exclamat, — et «ferratam viam» dicam.

— Minime arridet mihi sonus nominis huius, — Turoni ipse reddo; — scimus namque omnes, quotquot latina ova coquinae adduximus, quid ferrati milites sint, nempe omnino septi ferro; quid ferratus servus, nempe in catenis. Longe absunt, immo longissime huiusmodi significationes a ferro, quo via sternitur, per quam nobis iter.

— Ergo, — suscepit Forfex, — Vallauriana videtur mihi retinenda periphrasis, quae «stratum ferreis axibus iter», seu «strata ferreis axibus via», viam hanc appellat. —

Utrique tunc ego: — Non hic de periphrasi, sed de nomine quaestio. Nulla res prorsus est, quae per circuitum explicationemque verborum explicari non possit; sed breviora quaerimus proprio nomine et una sub voce absolvenda. Itaque Vallaurianam periphrasim neque abolendam, neque respuendam, sed tenendam censeo, praesertim si quando nomen rei rursum saepiusque redierit, quod sine satietate et fastidio legentium audientiumque iterari non possit. Meo iudicio nec semitam, nec iter quodcumque ferreis tigillis instruitur ita, ut rotae super illa volvantur; semita enim uni tantum eunti, uni redeunti eodem tempore sufficit, iter quod tribus procedentibus satis sit, et tres pariter obviantes sine incommodo capiat; viam ergo dicemus rectius, namque haec binis hinc, binis inde patet viatoribus; scitis ceterum apud veteres literas *b* et *v* easdem esse, atque in scribendis eadem, uti in arcaico graeco, signo indicari. Quid si etiam in recentioribus vulgi? Atqui vulgus, eloquii sui tenacissimum, in satis nota funebri inscriptione exarabat: *Pollecla quae bendit hordeu' de bia noba.* Itaque, quum bini semper disponantur pro unaquaque vaporitraha ferrei tigilli vel axes regundis rotis, via optime dicetur. Quum autem axes ii ex ferro, nempe ferrei sint, breviori vocis usi compendio commodius «ferroviam», quam «ferream viam» nuncupabimus, nam hoc nomen latine includit elementa rei ipsius, quod in nomine rebus imponendo, optimum est, ac genus proximum et differentiam ultimam vocabulo uno comprehendit. Credo itaque «ferroviae» nomen iure bono latinitati me comparasse, et futuris inserendum lexicis opportunum idoneumque dedisse. Quid vobis videtur? —

Forfex videtur esse anceps; Turo contra annuit, hortaturque ut ultra fauste feliciterque procedam; et quasi rem sigillo signaturus Ovidiano, concludit:

— *Quo bene coepisti, sic pede semper eas.* —

Itaque hisce rursus argumentum occupo, gratiis actis pro iis, quae probaverat. Sequor pedetentim loca dicturus. Ferroviarum, sive abeant, sive adveniant, caput est aedificium quoddam in urbe modo, modo in oppido, in vicis, in agris modo, in quod vaporitrahae, vaporivehae, et sit laus, Turo, tibi «locomotivae» hinc inde conveniunt, hac illac demigrant. Aedificiis huiusmodi nomen latinum iam ab inde est, ac «stationes» optime dicentur; et causam nominis afferam, fortasse talem, quae multorum exspectationem facile vincet. Ea enim non a T. Varrone repetam, a T. Varrone, ni fallor, qui «stationes a stando», iure trahit, — petere quippe possunt increduli an a substantivo verbum, vel a verbo substantivum processerit —; neque mihi erit tanquam defensor Vergilius, qui sinum, portumque in quibus naves quiescant hoc nomine decorat, illo sat noto:

statio male fida carinis;

neque hibernis a castris, quae et stationes interdum appellata sunt. Pulchra haec, et ad ostentandam eruditionem de Latinis quaesitam haustamque scriptoribus opportuna magis quam ad rem circa haec aedificia probandam. Sed assero aedificia huiusmodi in viis antiquitus excitata, et Romanum cum late florerent sermo et imperium ita nuncupata. Rem probo.

(Ad proximum numerum).

H. De Vecchi Pieralice.

PER ORBEM

Malorum quae recentissima inveni, spectaculum miserandum, dederunt Russi. Olan, haud longe a statione ad viam ferreis axibus stratam, quae in Sinenses immittit, viatorum vehes, nive impediente progressum, e tramitibus repulsa est: viatorum inde mortuus unus, decem et sex vulnerati. Baikal autem in lacu pyroscapha decurrens tres post se naviculas cordis adligatas trahebat. Attollitur repente procella; irruit ventus immaniter, undas sublevat hinc et inde, iactatque innatantia navigia. Tandem perfringuntur ligamina, divulsaeque rates, gubernaculo omni orbatae, impelluntur violenter in scopulos atque omnino pessumdantur. Iam nautae septuaginta misere demersi pereunt!

⚜

At supremis Octobris mensis diebus italicas quoque nostras oras tempestates horrendae vastarunt, Liguresque, Calabrosque sinus. Savonenses ea lugent, quibus mox et Catinenses successere. Nam S. Ioannem oppidum in Calabris, litusque eius ira maris invadit. Oppidum ad Catinam, cui *Arx Catina* nomen, alluvione inundatum est undique, ipsaque in necropoli mors e somno exturbata! Miserum videre fuit monumenta prostrata, avulsos lapides, eversas cruces, effossa usque feretra mortuorum, ossa cineresque luci reddita atque dispersa vento, vel aquis redeuntibus abrepta in gurgites. Telephoni fili atque mali circum interrupti, vineta florida undis demersa ad palmites. Nonnunquam, uti finitimis in oppidis Scaletta, Massafra, Paligiano, domus etiam stabulaque diruta virorumque, aut mulierum, aut puerorum clades deplorata. Aquae et vento coniurantibus ipsa ignita vis, quae latet intimis in orbis latebris, sese iunxit, cuius ex motibus contremuerunt multæ Italae provinciae in Langobardia, in Liguria, in Etruria.

⚜

Quod si ad Belgas convertimus oculos, grave ibidem infortunium lugere oportet igni partum. Hospitium insigne, quod *Continental* Bruxellis exstitit, flammae extemplo excitatae vorant, citissimeque consumunt. Duas post horas, immanis quasi rogus aedes tota arsit, cuius flammarum rubores a dissitis etiam locis conspiciebantur; popularium turbae e regionibus urbis omnibus confluere ut novo spectaculo civiumque miseriis quodammodo recrearentur; inde accersiti milites statim, qui tantam multitudinem ab ipso saltem flammarum clibano cohiberent. Multa autem nocte, dum in continendam quantum possint plebem illi incumbunt, ne vigilum officia praepedirentur, rixae heic illic ortae milites inter et cives: brevi ita auctus tumultus, ut armis quoque factus sit locus. Quater itaque instructa sunt a militibus agmina, quater in plebem impetus factus, nec pauci pugione aut ense vulnerati. Quare commota, iniuste licet, ad seditionem plebs statim protestationis modo per urbis vias discurrere coepit hymnum recinens Gallorum gentis notissimum, cui a Massiliensibus titulus.

⚜

Quae per Europam furiunt calamitates transvectas forsan per Gaditanas portas videmus in Africam. Nam et poenicum omne litus procellis vastari pessime scivimus, et oppida inundari, et domos dirui, et vias demergi. Haec vero non plorat neque curat Turcarum gentis imperator, cuius oculi auresque ad alia, eaque, eius iudicio, graviora intenta omnino esse dicuntur.

⚜

Sunt haec Russorum conamina et minae, instructaeque opes quotidie in Byzantium, motusque copiarum circa Hellespontum ad rem directi. Quum vero spatium Russis non sit ad suarum experimenta virium in ipsum mare chalcidicum aut byzantinum ducenda, Sebastopolim ad moenia res non sine ingenio effecta, tamquam ad exemplar futurae obsidionis. In peninsula enim, cuius ad litus classis Russica moratur, munimenta exstructa ad unguem similia eorum, quae Euxini pontus aditum obstruunt. Modo naves in altum impulsae procul a munimentis stetere, atque statim immissi undique igniti orbes, missilesque globi. Omnia inde adeo velociter solo aequata, ut computatum sit una vix die oppida omnia quae Byzantium muniunt dirui posse, atque in ipsum Pontum liberam fieri viam. Oh quam optime monebat illud sapientis, nil aliud esse pacem quam moliri bellum!

VIATOR.

VARIA

Automobilibus curribus certa lux.

Saepe de automobilibus curribus diximus, et inventum iure laudavimus; quin etiam vota et omina fecimus, ut communi omnium usu reciperentur; tutius enim his creditur viatorum vita quam equo saepe exlegi vel terrore subito immisso, vel cupiditate aliqua allecto, vel furiante dementia praecipitem semet, rhedam et sessores agente. At illud obstabat quod noctu periculosum automobilibus iter erat; nam pernix currus praeripiebat viam qua gradiebatur, antea quam oculi praespicere possent; sic facilis et frequens ruina, quam interdiu vitare, monentibus oculis, difficile minime cuivis iudicatur. Nunc Berliot, physicis et mathematicis addictus rebus, ita coruscaturam e lucerna automobili affixa, lucem invenit, ut splendore proiecto ultra tercenta metra non modo viae pateat aspectus, sed et liber, ephemeris quaevis legi commode possit. Si naturam luminis quaeras, ex «acetilenio» vel «acetilite» est; si industriam, qua tantae fulguret lucis potentia, haec est in quadam collocatione vitrearum lentium, quibus mirifice augeatur coruscatio. At rei totius non exigua commendatio lausque est ex chartulis, seu involucris, quibus automatice reficitur vapor luminis generator, et una ex hisce dum absumitur, altera praesto est quasi fluidi perennis fons et indeficiens. Qui aestivis praesertim noctibus abire automobilibus vecti gaudebant, at periculis hinc inde scatentibus, deficiente luna, detinebantur, nunc pede libero, rectius, rota libera utentur impune.

Peculiare vino asservando aedificium.

Mediolanense aedificium ingens vino asservando nunc excitatur, ac doliorum ingentium novum genus non modo excogitatum, sed perfectum est. Collatis opibus aedificium adstruitur, quod vini ettolitrorum quingenta millia capere possit. Dolia sunt non ex lignis dolata, sed ex petra et caemento exterius condita, interius vitro liquenti linita, quae singula ettolitrorum trecenta et mille, vel plus minusve contineant; ceteroquin suum et lignis relictum officium, nam saxa ipsa et caementum parietes lignei coercent. Ex hisce doliis iam viginti circiter confecta fuere, et sexdecim et ultra ettolitrorum vini millia tenent. Plures, ne dicam omnes, accedunt spectatum quod gigantibus dignum opus apparet, ipsisque explendis destinatum videtur.

Ferrearum viarum extensio, impendium, vecti homines et merces.

Quoniam de ferreis viis hoc in commentario nunc agitur, quoad imponenda nomina rebus, quae, plus minusve, huiusmodi itineribus ineundis respondeant, placet memorare praecipua tria ad rem pertinentia.

Stratae ferreis axibus viae hactenus in orbe terrarum summam 750,000 chilometrorum aequant; quibus instruendis, ornandis, muniendis 161,260,000,000 libellae persolutae sunt. Harum autem ope viarum homines ad numerum, plus minusve, 2,400,000,000 singulis vehuntur annis; mercium autem cuiusvis generis quot ad implendum pondus, quod *tonnellatas* appellant, numero 1,800,000,000 sufficiant. Haec vero non ad amussim, sed ita notata sunt, ut centum millia plus vel minus veritati non obesse putentur.

Quot hoc anno sint in mari naves.

Lloyd Register librum edidit, in quo singularum civitatum enumerantur naves. Novimus itaque ex recensione, quae I° huius anni die facta est, duo de triginta navium millia et quadringentas ac viginti duas per maria ferri onerarias mercibus commutandis, quarum fere dimidiam partem, decem scilicet millia ac octingentas quadraginta Anglorum potestas obtinet. Sequuntur Foederatae Borealis Americae civitates et Germania; prima tria navium millia et ultra; altera mille et septingentas habet, Gentes reliquae minores sunt.

«Eteroplastica».

Novum hoc incurrit nomen in lexicon, si cuti cucurrit in usum, ad designandam sive artem, sive disciplinam, sive utramque, ope quarum pellis detrahitur ab animali sive omnis, sive in parte, et recens animali applicatur, sive speciei eiusdem, sive alius at proximae, denudato vel in parte, vel in toto, et recentissime. Exploratum enim est novam pellem pulcherrime adhaerere nudo a nudato, atque hac industria singularia quidem visa sunt, et mirabilia fieri visu animantia, nempe laneos fecerunt equos, caprinos arietes et huiusmodi. In physiologicarum disciplinarum athenaeo Parisiis niger equus propria exutus est pelle, et alba equi albi indutus, quae et adhaesit et viget.

Ioci.

Argumentum Lavinii.

Lavinius villicus, homo simplex et mitis, vocatus ad perhibendum testimonium coram iudicibus in urbe provinciae capite, magna cum religione edidit quae sciebat, at sedulitate maiori quid iudices facerent, quid dicerent memoriae tradebat, uxori, ubi rediret, omnia narraturus ad apicem. Quae cum percontaretur a redeunte quid illi de urbe, de tribunali, de iudicibus visum fuisset, reddidit plura, atque inter cetera, suo modo intellecta, dixit tres iudices pro tribunali sedere; medium et laevum suo iudicio aut recentiores, aut legum prudentia minores dextero; causam sentiendi ista reddebat his verbis: — Quia duo illi apertis oculis, crebris interrogationibus, anxii, solliciti, circumspicientes percontabantur; tertius vero semisopitus, et aut dormitans aut dormiens, ubi finis iudicio fuit, eamdem ac duo primi sententiam protulit. Ergo, uxor, tantum sciebat ille etsi dormiens, quantum duo illi etsi seduli, et vigiles et intenti. Quantus fuisset, si vigilans adstitisset!

P. d. V.

DE HOROLOGIIS [1]

Antequam ad eam veniamus aetatem, quae a clepsydris et « sciothericis », vel « sciathericis » horarum imperium abstulit, et machinis ordine ac serie rotarum confectis habendum dedit, novum horologiorum genus invectum reperio a Gerberto, qui ab anno CMXXX ad annum MIII vixit, Ordinique Benedictino ante se vovit, tum, Othone II Augusto imperante, filium huius, postea Othonem Augustum III, optimis quibusque disciplinis erudivit, dein, Ugone Capeto acciente in Galliam, Rupertum Ugonis filium docuit, atque Archiepiscopus Rhemensis, inde Ravennatensis, denique Pontifex Silvester II nuncupatus est. Physicis his [illegible] delectatus tot mira ac tanta ex arcanis naturae viribus efferebat phoenomena, ut magicis addictus artibus, prouti [illegible], perhiberetur. De hoc legi in [illegible] institutionibus cl. viri Barlocci quae [illegible] ad eruditionem textui subiectis ab historico ita quondam latine exscripta: « Robertus, postea Rex Francorum, fecit eum (Gerbertum) Archiepiscopum Rhemensem... et hic horologia et organa hydraulica miro arte construxit, in quibus per aquae calefactae violentiam ventus — (vaporne?) — [illegible] implet concavitatem barbiti ».

Robertus itaque singulare horologium, quod nec pulvere, nec aqua guttatim defluente ac stillante, nec stili umbra, sereno sole numerat horas, sed quodam artificio vaporis ex aqua calefacta emergentis. Quod ego considerans credo ita confectum, ut vapore elata rota, quasi vestigio, ageretur [illegible] in vertice machinae, cuius motu motus eo citatur maior, quo magis in [illegible] rotae descenderetur, donec in ultima rota penitus [illegible] fieret, atque huius axis ope, in prospectu, indicem hastae de horae [illegible] in horam subsequentem lenti [illegible]. Quidquid sit, ex hoc artificio horologii nihil [illegible]; quod tamen et insigne et [illegible] vel ex [illegible] et [illegible], illo calamitosissimo in tempore, quo periturum proxime Orbis terrarum, fatali praetereunte millennio [illegible] in cunctis omnibus invaluerat. Siquidem ita mentes hominum adinventio [illegible], ut a trepidatione ac terrore diei tremendae ingruentis humanas ad se posset cogitationes avocare et convertere.

([illegible])

G. P.

ANNALES

Gallorum classis in Turcas — Cretae insulae negotia — Mauritaniae atque Poenicae res — Persarum coniurationes — In Sinis regicidium [illegible] — Transvaaliana.

Gallica classis, quae Mediterraneo in mari, annuis exercitationibus vacabat, Tolonam in portum inopinato rediit. At deerant in reditu naves nonnullae, quibus Caillard, navalis praetor, praeest, quas innotuit paulo post, in Turcarum litus esse profectas. Galli enim, variis obtestationibus sponsionibusque, quibus hactenus eos Turcarum imperator collusit, irritati, statuerunt extemplo classis suae partem eo mittere, ut nimis infidum regem cohiberent. Nec res videtur pertinere tantum ad privata iura sarcienda Tabini et Lorando civium Gallorum, sed etiam ad publicas foederum pactiones vindicandas, quas cum Gallis Turcae inierunt antiquitus: ius ferreas vehes nonnullas exercendi, deducendi, agendi; ius gallicae linguae gallicis in ludis edocendae; ius christifideles tuendi atque patrocinio iuvandi; ius denique medicos laurea donandi, qui in Beyruthiano athenaeo stadiis operam dederint. Naves itaque Gallicae Mitylinen insulam tenuerunt, militesque plures in terram cum descendissent portorium occuparunt. Neque est credendum Turcarum regem posse a ceteris Europae nationibus auxilium sibi parare; hinc enim Germani, inde Russi, Gallorum ausum aut silentes tolerant, aut expresse probant: Angli autem, africano bello implicati, a re sese abstinent.

*

Vindobonae de Creta insula quaestio iterum agitata. Adfuit ibi Georgius, Graecorum ipse rex, qui et cum Michaele, Russica ex imperiali gente magno duce, cum Golucowski Russicarum rerum ad exteros moderatore, cum ipso denique Francisco Iosepho, Austrorum Imperatore, de insula quam brevi suo regno addicenda diuturna colloquia habuit. Verum consilium displicere aliquantulum Russis apparuit, utpote mature nimis captum; quare praenunciant in praesens nihil novi futurum. Sunt enim ipsa in insula factiones tres, quarum prima Graeciae insulam addici cupit, altera mavult cives suo iure vivant, tertia cum Georgii regno coniunctioni favet, ea lege tamen ut aerarii pecunia et aes alienum cum Graecis haud communicentur, ne nimis sua vectigalia ingravescant.

*

Sed moventur Turcarum res etiam in Africa, inque poenico littore praecipue, ubi non tacent Arabum latronum incursiones et tumultus, atque in Mauritania, quae contra Gallos Iberosque odio flagrat. Quamquam Mauritaniae magistratus Gadis Iberico legato promisit sese pretium soluturum de iuvenibus illis, quos, prouti alias diximus, Kabili latrones captivos fecerant. Hac de re Iberici administri publicas dedere reliquis Europae civitatibus litteras, gratias agentes de auctoritatis auxilio, sibi tam unanimiter in re praestito.

*

Persae, falsi prophetae asseclae et ipsi, variis seditionum motibus turbantur. Harum novissima gravior praeteritis visa, licet ipsis ab initiis suffocata, non sine felici fortuna, fuerit. In regem enim Muzaffer-Eddin fratres ipsi coniurationem inierant Massud Mirza et Kamran Mirza, eiusque filius Mirza Ali, magnus regni satrapes. Non uni vero ii principes; sed et in criminis partem venerat quoque factio regi obnoxia et sacerdotes. Sed clementia regalis extremo iudicii in exitu accessit, veniamque coniurationis globo largita est; quamquam Gavam praetor, qui in consilium regiae necis et ipse venerat, in carceribus mortem, quam asserunt inopinam, obiit.

*

Dum Sinenses res videntur in assuetam quietem redire, Pechino nunciant sicarium quemdam imperialem foeminam, Ho-nan versus urbem iter facientem, audacter esse adortum. Sed praeter spem crimen illi cessit, cuius ictu non alius quam servus reginae confossus cecidit. Milites tunc, qui foeminam custodiebant, sicarium ense necarunt.

Haec dum aguntur in Sinis, Bremensem portum appellunt naves ultimae Germanorum praeda onustae, orientis e litoribus reduces, quarum ex altera ignivomae ballistae centum ac septuaginta in portum delatae, quas Sinensibus Germani milites ademerunt: eae veluti triumphalia hostium spolia Berolinum mittentur.

*

Transvaaliani belli vices his diebus in Anglos magis verterunt iniquae. Delarey enim dux Methuen, Anglorum imperatorem, superavit, eius impedimentis potitus est, arma diripuit, hostium ad centum et quinquaginta interfecit, longe plures captivos duxit. Botha autem atque Lemirum in modum ab Anglis persequentibus hospites cum evasissent, eorum copias adoriuntur et in fugam vertunt; dumque Taylor tribunus nonnullos ex Boeris captivos ducit, Boeri modo Benson tribuni cohortem aggressi ballistis ignivomis privant, modo ad Town flumen advigilatione commissa hostes superant...

Popliçola.

SPATIO DEFICIENTE,

AD PROXIMUM NUMERUM

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

AENIGMATA

I.

Toto fere in *primo* consistit vita; *secundum*
Sanguinis a vitio est; *integrum* ubique vides.

II.

Stat liquor in *primo*; dependet barba *secundo*;
Nullaque vis *toti*, funera ni pereant.

I. Battanius.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

De Recta Iuvenum Institutione
Oratio Iosephi De Gennaro.

Aenigmata a. IV, n. XVIII proposita his respondent:

1) Suber, Rebus, Urbes;
2) Cur, Sus, Ursus, Cursus.

Ea rite soluta miserunt:

Th. Vignas Sch. Piar., *Roma*. — D. Le Provost, *[illegible]*. — Guil. Schena, *Ratisbona*. — Princ. Gordon, *[illegible]*. — I. Szymaitis, *Opitoloki*. — Ad. Huza, *Grybovia*. — Valentinus ab Aletrio, *Tusculo*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Lud. De Rubeis, *Igurio*. — Alb. Sesia, *Vercellis*. — Herm. Gini, *Taurinis aquis*. — Collegium Sch. Piarum *Stellae*. — St. Figielski, *Rypino*. — Elis Lancher, *Corduba*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — E. Burg, *Argentorato*. — Ad. [illegible]kowski, *Swinice*.

Sortitum est praemium

Collegium Scholarum Piarum Stellae,

ad cuius rectorem missum est opus, cui titulus:

Petri Angelini
Lollius
sive
De provecta Latinitate.

(1) Cfr. num. sup.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus.

Romae — Ex officina *Pacis* Phil. Cuggiani.